

1440

ubi Venetus cum reliquis triremibus & duodecim aliis navibus affuisset, ad primum congressum subito cruentum prælium ortum, ac non multo post æquata pugna, diu anticipati marte pugnatum: harpagonibus & ferreis manicis injectis, res minus gesta est. Eratque talis dimicatio omnino aspectu atrox, quando multi utrinque caderent: sed rem longe atrociorum violenti tormentorum ictus terribilesque clamores faciebant, qui proximis montibus insinuati, fœdissima imitabantur tonitrua: aer, terra, aquæ ventis violentoque navium impulsu concussæ, uno tempore strepebant: multa & omnino varia erant mortis discrimina: quorum illud imprimis memorabile, funem, ajunt, inter duas triremes extensem fuisse, unde uno tempore quinquaginta in aquis diversis casibus præcipitati pendebant: atque ita innixi, ne profundissimis aquis mergerentur, velut unicam spem vitæ tenaciter retinebant: verum altero capite reciso, miserabili modo ad unum periere. Et jam res Veneta post longum certamen, Contareni & aliorum virtute superior esse cœperat, quum Italus, fortuna aperte inclinante, in parvum transgressus navigium fuga dilapsus est. Aseretus & alii absentia ducis adhuc magis territi, & ipsi, remissa pugna, fugam circumspectare incipiunt. Tum ferocius instare Venetus, atque trepidum hostem circumstitere, urgereque: nec prius uti destitit victoria, quam, duabus ex omni numero dilapsis, reliquas hostium naves in suam potestatem rededit. Eas ingenti læticia Contarenus Turbulas pertraxit, cui ob atrocem pugnam ferunt galeam lapidibus aliisque violentis ictibus contusam, aliquandiu eximi nequivisse.

Tam inclytæ victoriæ fama Brixiam perlata, ingentem affectæ civitati attulit læticiam, erexitque omnium animos in spem melioris fortunæ. Apparebat, lacu Venetis patefacto, nihil amplius impedimento futurum, quo minus commeatus sibi & auxilia affatim mitterentur. Decernunt itaque legationem quæ Venetias iret, coramque præsentem victoriam Patribus gratularetur. Fuit illius princeps Petrus Advocatus, qui aureum vexillum inscriptum, *Brixia*